



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXVI. Argumentum. Declaratur quid, & quotuplex sit Cambium. Quibus titulis cohonestetur lucrum in Cambiis. Quæ, & quot conditiones sint in eis servandæ, ne committatur Anatocismus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

vere sint parati; ut bene considerat, & laudat etiam Alcanius Tamburinus de Jure Abbatissar. dist. disput. 9. quest. 3. num. 24.

DECISIO LXXVI.

ARGUMENTUM.

Declaratur Quid, & Quotuplex sit Cambium? Quibus titulis cohonestetur lucrum in Cambiis? Quæ, & quot conditiones sint in eis servandæ, ne committatur Anaticismus?

SUMMARIUM.

1. Cambii definitio.
2. Permutatio tripliciter fieri solet. Et quomodo?
3. Pecunia usus duplex, & qualis?
4. Cambium quomodo differat à Venditione, & à Mutuo?
5. Campsores, & Campsarii qui dicantur?
6. Pecunia quo anno cepit esse expendibilis?
7. Abraham pecuniam obtulit pro emenda terra ad sepeliendam Saram.
8. Cambium dividitur in Siccum, & Reale. Quid sit Siccum?
9. Cambium Siccum cur sic appellatum?
10. Cambia Sicca damnantur Bullis Pii IV. & S. Pii V.
11. Cambium reale quadruplicis generis. Et quodnam Cambium minutum?
12. Cambium per Literas qualiter fiat?
13. Cambium ad nundinas quodnam sit?
14. Cambio in minuto quo titulo recipiatur lucrum?
15. Famulus cambiando pecuniam Domini sibi datam ad expendendum, an possit aliquid lucrari sibi?
16. Cambia per literas quibus titulis reddant lucrum?
17. Cambiorum ad nundinas lucrum quomodo justificentur?
18. Cambiis in maritimis quo titulo recipiatur lucrum à Campsores?
19. Conditiones necessariò servandæ in Cambiis minutis, & per literas.
20. P. Joannes Tubba Servita acriter reprehensus à Capuccino Concionatore circa literas civicas usurarias.
21. Tolerantia Superiorum non facit Usuram licitam.
22. Leges Pontificia non abrogantur ex non usu.
23. Litera ad nundinas realiter transmittenda, & exequenda.
24. Campsor an certus esse debeat, quod Campsarius negotietur in nundinis?
25. Lucrum in Cambiis ad nundinas non est determinandum ab initio.
26. Cambia non nisi ad proximas primas nundinas faciendæ.
27. Loca propinqua, vel distantia nundinarum minuunt, vel argent lucrum in Cambiis.
28. Interpellatio judicialis necessaria pro interesse consequendo in Cambiis.
29. Cambiorum materia satis est involuta, neque Theologis bene cognita.
30. Anaticismus quid sit?
31. Cambiis in minutis quando committatur Usura?

Quoniam in cambiis, & prætextu cambiorum frequenter, ne dicam jugiter, committuntur Usuræ, ideo ad complementum harum Decisionum de Usuris, & ad perfectam Usura-

rum noticiam, quam Confessarios, animarumque Rectores habere decet, restat, ut summam videamus.

1. Quid sit Cambium, & unde sic dicatur?
2. Quotuplex sit Cambium?
3. Quibus titulis Cambium sit licitum?
4. Quibus conditionibus debeat esse vallatum?

Quoad Primum. Omnes Theologi communiter definiunt contractum cambii, quod sit Permutatio unius pecunie cum altera. Tamburin. de Triplici Jure lib. 9. tract. 3. cap. 1. num. 1. Collegium Salmantic. in Cursu Theolog. Moral. tom. 3. tract. 14. cap. 4. punct. 1. & Mastrius in Theolog. Moral. disput. 5. num. 116. dicitur autem Cambium à cambiare, quod est nihil aliud nisi rem cum re permutare, ut observat Tiraquellus de Retract. lib. 1. cap. 30. in princip. qui quidem juxta doctrinam Aristotelis 1. Physic. cap. 6. notat, quod tripliciter fieri possit permutatio, videlicet rei cum re, ut si dem tibi vinum pro frumento; pecunie cum re, ut si dem tibi aurum pro vino, & pecunie cum pecunia, ut si dem tibi pecuniam auream pro pecunia argentea, vel zrea. Primo modo est contractus permutacionis. Secundo modo emptionis, & venditionis. Tertio modo Cambii. Tamburinus d. cap. 1. num. 1. Colleg. Salmantic. & Mastrius ubi supra, qui ex hac definitione tria colligunt. Unum, quod duplex sit usus pecunie: Primarius, ac principalis, ut sit aliarum rerum pretium, & Secundarius, seu minus principalis, ut ipsamet pecunia possit permutari, emi, vendi, & commodari; ratioque hujus secundarii usus est, quia aurum, & argentum non relinquunt naturam suam, suamque æstimabilitatem materiæ, ex eo quod per consensionem gentium sint instituta in pretium aliarum rerum, quod bene notavit Sanctus Thomas 2. 2. quest. 78. art. 1. & de Regimine Principum cap. 14. & Aristoteles ubi ante. Alterum est, quod Cambium differat à venditione & emptione, in qua pretium est diversum à merce, in Cambio autem idem est pretium cum merce; tum à mutuo, quod potest esse in omni materia consumptibili, tritico, vino, oleo, & similibus, at Cambium in sola pecunia esse potest: Quod si dicas, etiam mutuum sit, & esse potest, imò ut plurimum concipitur cum pecunia; nihilominus differt à Cambio, quia illud dat pecuniam restituendam post dilationem temporis, & in eodem loco; istud autem solet fieri dando pecuniam pro pecunia præsentis, vel in alio loco solvenda, ut dicemus infra. Tertium est, quod qui dat pecuniam ad Cambium, vocetur Campsor, ille verò, qui pecunia indiget, & eam ad cambium recipit, dicatur Campsarius ad similitudinem aliorum aliquod donum, legatum, vel beneficium recipientium, qui vocantur donatarii, legatarii, beneficiarii. Quod si petat curiosus Lector, quo anno, & quo autore pecunia facta sit pro aliis rebus emendis? legat Plinium lib. 33. cap. 3. qui Romanos facit pecunie auctores, Isidororumque, Epiphanium, & Cedrenum, quos refert Sallianus ad Annum Mundi 3343. volentes nummos dictos esse à Numa, qui prior illos cudid: at certum est, quod tempore Abrahami, qui Anno Mundi 2039. natus est, pecunia fuerit in usu; cum enim Sara ejus uxor esset defuncta, rogare fecit Ephron filium Seor, ut daret ei terram ad

construendum sepulchrum, & obtulit pecuni-
am pro pretio dicens: *Pecunia digna tradat eam
mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* Genes. 23. 9.
Igitur multo ante Imperium Romanum pecu-
nia erat in usu, id est tempore Abrahami.

- 8 Quoad secundum, Cambium dividitur à Do-
ctoribus concorditer in duas species, nempe in
Siccum, & in Reale. Cambium Siccum est il-
lud, in quo fingitur commutari pecunia cum
alia, vel alibi solvenda, sed verè, ac propriè da-
tur pecunia ad mutuum cum Usuris; & tunc
fit, quando quis eam petit, & recipit à banche-
rio, seu Campfore titulo cambii, promittens lu-
crum, quod in nundinis futuris ab aliis solvetur,
quasi sit eam ad nundinas delaturus, & ibi
eam restitutus cum lucro taxando in nundinis
ipsis, sed eam domi suæ expendit in propriis
necessitatibus, & donec eam restituat, solvit usu-
ras cum campfore conventas; quod quidem
Cambium Siccum est contractus Usurarius, &
damnatus apud omnes Theologos; vocatur
enim Siccum, tanquam sterile, & carens humore
justi tituli, ad afferendum lucrum, ut ait Mo-
lina de *Justit. & Jure disput.* 398. num. 6. Lessius
eod. tract. lib. 2. cap. 23. num. 5. & passim omnes;
nisi potius dicere velimus, vocari Siccum, quia
illud exercentes apti sunt comburi in igne æ-
terno, juxta illud, quod Salvator dixit mulieribus
deplorantibus ejus Passionem: *Si in viridi li-
gno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. 31.
quibus verbis Tiranus *ibidem* ait, significari pec-
catores impenitentes, quales sunt Campfores
Usurarii, æternis flammis tanquam arida ligna
10 mancipatos. Contra hæc cambia Sicca extant
duæ Pontificiæ Constitutiones illa damnantes,
& gravibus pœnis eorum exercitores punien-
tes: Una Pii IV. incipien. *Cum Steur.* Alia S. Pii
Quinti. *In eam* 118. quas utinam humana ma-
litia non eluderet, præcipuè dum Campfores
fingunt ignorantiam intentionis Campfarii pe-
tentis pecuniam pro suis necessitatibus ad mu-
tuum, quamvis asserat, eam ad nundinas se de-
laturum, & in nundinis restitutum, & exin-
dè lucrum soluturum, ut pluribus in casibus
demonstrat Eminent. Cardin. de Luca de *Cambiis*
disc. 1. & seqq.
- 11 Cambium reale, & verum subdividitur in
quatuor classes. Prima est, quæ continet cam-
bia minuta, id est quando mutatur pecunia ma-
jor cum minori, pulchra cum deformi, nova
cum veteri, vetita cum legitima, usualis in hac
civitate cum usuali in alia civitate, & tale cam-
bium vocatur purum, simplex, ac manuale, quia
fit de manu ad manum. Valentia *rom.* 3. *disput.*
5. *quæst.* 23. *punct.* 1. Tamburinus *d. lib.* 9. *tract.*
3. *cap.* 2. num. 1. Mastrius *d. disput.* 5. num. 117.
& Salmanticenses *dict. tract.* 14. *cap.* 4. *punct.* 1.
12 num. 2. Secunda classis Cambii continet cambia
per literas, quæ vocantur etiam cambia localia
& sunt, quando præsens pecunia commutatur
cum absente; & quia in his dantur literæ, vo-
cantur cambia per literas & sunt in usu tum
apud mercatores, tum apud Ecclesiasticos, qui
soluturi Romæ vel Pensiones, vel expeditionem
Bullarum, consignat hic Patavii, vel Venetiis
pecuniam; quam Campfores faciunt Romæ ex-
bursari absque alio incommodo debitoris. Ter-
tia classis comprehendit cambia, quæ dicuntur
13 ad nundinas; quæ quidem talia dicuntur, quia
pecunia, quam Campfor exbursat Campfario, est

eidem Campfario restituenda in nundinis, de
quibus partes convenerunt cum lucro, quod
nundinarum tempore taxabitur, quæ quidem
pecunia ut plurimum non restituitur realiter
in ipsis, sed mediante recambio, quod est majo-
ris summx, ob inclusum illud lucrum in eo, &
vocatur etiam cambium cum recambio, & cam-
bium cum recurfa; de quo latè agunt Lessius
d. lib. 2. *cap.* 23. *dub.* 6. Navar. in *Manuali cap.*
17. num. 300. Tamburin. *d. tract.* 3. *cap.* 2. num.
4. & *cap.* 5. §. 1. per totum. Eminent. Cardin.
de Lugo de *Justit. & Jure disput.* 38. *sect.* 3. Ma-
strius *d. disput.* 5. num. 123. & Eminent. Cardin.
de Luca de *Cambiis disc.* 3. num. 8. Quarta classis
continet cambia maritima, quæ contrahuntur
per quandam speciem societatis, quod scilicet
super navi piscatoria, vel piratica, seu etiam mer-
catili inearur societas, in qua unus ponit pecu-
niam, & alter navim, & industriam vel sub mu-
tuo periculo: Cardin. de Luca de *Credito disc.* 3.
num. 8. vel cum assécuratione inter ipsosmet
principales contrahentes. d. de Luca de *Usuris*
disc. 3. num. 3. vide infra *Decis. LXXVIII.*

Quoad Tertium: Ut intelligat studiosus Le-
ctor, quibus titulis licita sint cambia cum aliquo
lucro, & emolumento? differendum est sum-
matim de singulis quatuor cambiorum realium
speciebus. Igitur in cambio minuto, sive ex-
14 cerceatur à ministro publico, sive à persona pri-
vata justi tituli pro lucro recipiendo hi sunt.
Primus obsequium, quod Campfor præstat Cam-
pfario, ei ministrans pecuniam desideratam. Se-
cundus est labor, quem patitur Campfor nume-
rando, ac renumerando pecuniam, quam dat, &
recipit pro cambio. Tertius est qualitas materiæ
magis æstimabilis, qua Campfor se privat, dum
dat monetam auream pro argentea, vel ærea
sive æream magis expendibilem pro argentea,
aut aurea. Quartus commoditas, qua Campfor
se privat, & quam transfert in Campfarium pe-
tentem monetam sibi magis commodam ad ex-
pendendum, vel ad alibi transportandum.
Quintus utilitas, quam reportare intendit ipsemet
Campfarius, petendo scilicet monetam auream,
putà Zecchinos, pro ærea, vel argentea; quia
aurea in alia Provincia, quò est iturus, magis
valet. Ex his titulis licitum esse lucrum in
cambio minuto affirmant Navar. *d. cap.* 17. num.
288. Palaut *rom.* 2. *tract.* 32. *disput.* 7. *punct.* 3.
Lessius, Villalobos Serra, & alii, quos citant Sal-
manticenses *dict. tract.* 14. de *Contract.* *cap.* 4. *punct.*
1. num. 6. & Mastrius *dict. disput.* 5. num. 126.
ubi notant, quod, si dominus dederit pecuniam
15 auream famulo suo, ut emat, Exempli gratia,
equos, boves, aut pecora pro usu propriæ fami-
liæ, possit famulus illam pecuniam auream com-
mutare cum ærea, & sibi retinere lucrum cam-
bii illius tanquam fructum debitum industria
suæ, ita tamen, ut nullum damnum resulset ex
hoc cambio ipsi Domino.

Circa cambia per literas, tituli pro recipiendo
lucro absque usuræ labe sunt sequentes: Pri-
mus est translatio, seu transportatio pecuniarum
de loco, in quo mercator campfor dat literas cam-
16 bii, ad locum, in quo per suum correspon-
salem facit eam solvere campfario, aut cui cam-
pfarius voluerit. Hæc autem translatio, seu
transportatio est pretio æstimabilis, quia si pe-
tens literas cambii veller suam pecuniam trans-
ferre Romam, solvere deberet mercedem vel
num;

nuncio, vel tabellario, vulgò *al Corriere*; & quamvis campfor actualiter non transferat illam pecuniam individualiter, virtualiter tamen facit prædictam translationem, quia habet in alio loco, puta Romæ, pecuniam propriam cumulatam ex mercibus sericeis, aut laneis, vel alterius speciei ibi inantea transmissis, pro quarum transportatione mercator, qui dat literas cambii, fecit multas expensas. *Secundus* titulus est securitas ejusdem pecuniæ, qua gaudet campfarius, cui mercator campfor obligatus est certè, & infallibiliter eam exbursare facere in loco, ubi idem campfarius postulat eam exbursari: siquidem si ipse illam mitteret ad illum locum per nuncios, aut etiam personaliter portaret, subiret periculum latronum in via, & alia incommoda. *Tertius* titulus est inæqualis valor pecuniæ in loco, in quo exbursatur campfori, & in loco, in quo est solvenda campfario; convenit enim æquitati, ac justitiæ, ut campfor ferretur indemnis circa valorem monetæ. Hinc, quia Romæ, ubi mercator Patavinus tenet plura Scutorum millia, Scutum valet libras Venetas novem, Patavii verò valet libras decem, solvendum est mercatori Patavino per campfarium aliquid plus pro uno quoque Scuto; nam majorem quantitatem auri, vel argenti recipit campfarius Romæ, quam mercator campfor recipiat hic Patavii à campfario; & ulterius si ipse campfor sibi transmittere faceret ab Urbe Roma Patavium pecuniam suam vel in moneta aurea, vel argentea, quæ ibi minus valet, vel in aliis mercibus emptis ad eundem valorem; utique reportaret augmentum valoris, quem eadem pecunia habet hic Patavii. *Quartus* titulus est labor, quem subit mercator, qui dat literas, eas scribendo, dum eas dat campfario, ac eas registrat in libro, & dum de eis monitum facit suum correspondentem per alias literas, quas per tabellarium, & ut dicitur *per la posta* ei transmittit, quæ omnia sunt pretio æstimabilia. *Quintus* est obsequium, quod præstat campfor, & commoditas, quam recipit campfarius, dum sine alio incommodo solvit quod debet, in alia Civitate & sua negotia gerit, terminat, & complet; ut considerant DD. quos cumulant *Salmanticenses dict. tract. 14. de contract. cap. 4. à num. 9. & seqq. Lessius de justit. & Jur. lib. 2. cap. 23. dub. 3. Molina eod. tract. disput. 403. Tamburinus lib. 9. de Contract. tract. 3. cap. 4. num. 2. & Maffrius d. disput. 5. num. 119.*

Circa cambia ad nundinas, in quibus pecunia non est restituenda campfori nisi in loco nundinarum, & completis nundinis, quæ solent abforbere tempus diversorum mensium, aut interegri anni, ut declarat Tamburinus *dict. tractat. 3. cap. 5.* tituli justificantes lucrum hujuscemodi cambii sunt: *Primus* lucrum cessans in ipso campfore, qui cum illa pecunia, tibi ad cambium in nundinis concessa, non potest amplius negotiari, & lucrari. *Secundus* est periculum, cui pecunia à campfore data exponitur, nisi sit datum pignus, aut fidejussor. *Tertius* est, quia dum expectatur solutio, plures possunt esse, qui petant cambia, & pauciores, qui dare illa possint. *Quartus* tractio aut realis, aut saltem virtualis pecuniæ ad locum, & de loco nundinarum. *Quintus* diminutio, aut augmentum valoris pecuniæ in loco, in quo solvitur à campfore, & in eo, in quo à campfario restituitur.

Sextus labor, ac expensæ, quas facit campfor conducendo, vel habendo alibi suum correspondentem, cui committat literas cambii, & in scribendo, registrando, ac computa faciendo in cambiis ipsis. Ita Tamburinus *dict. cap. 5. à num. 6. & seqq. & Nicolius in Instit. Civil. lib. 3. tit. 24. num. 120. & 121.* ubi ulterius advertit, quod si campfor ipse acceperit ad cambium à tertia persona pecuniam illam, quam tradit campfario, & iste sit in mora in ea restituenda, ita ut solvenda sint cambia, & recambia propter illam, alius titulus est damnum emergens, quod campfor patitur, dum tenetur solvere cambia tertio creditori, & ex hoc titulo recipit recambia à campfario, donec pecuniam restituat. Sed de hoc cambio cum recambio, & de aliis modis, quibus inter mercatores conficitur, ac titulis cohonestatur, legendus est Tamburinus *dict. lib. 9. tractat. 3. cap. 5. §. 2. & 3.* ubi de eo plenè disserit, & plurimos DD. de eodem differentes allegat; nec non discursus de Cambiis Italico sermone exaratus per Emin. Cardin. de Luca in *tract. de Cambiis post disc. 26.*

Circa tandem cambia maritima præter omnes titulos supra relatos, qui etiam concurrunt ad justitiam lucri, quod campfores in illis reportant, adest præcipuus alius titulus, nempe assicuratio, quam campfor facit de pecunia per mare traficienda, assumens in se pericula omnia naufragii, piratarum, & ignis, quæ solent occurrere navigantibus; sicut enim quilibet alius potest assurecare dictam pecuniam, & propter talem assurecationem lucrum recipere, ut docent Theologi apud Dianam *part. 1. tract. 8. resolut. 37.* Quæ in Coordinato ejus opere habetur *tom. 3. tract. 2. resolut. 41.* & concedit Maffrius *dict. disput. 5. num. 67.* Ita ipse campfor in cambio maritimo potest absque usura ali-quod considerabile lucrum sibi reservare; sed de hoc agemus infra *Decis. LXXVIII.*

Quoad Quartum, & Ultimum; conditiones, quibus cambia debent esse vallata, ut sint licita, & à labe scænoris immunia, sunt sequentes. *Prima*, quod tam in cambiis minutis, quam in cambiis per literas, & ad nundinas, ac maritimis lucrum non excedat illam quantitatem, aut summam, quæ vel taxata est à lege, vel approbata ab universali prudentum, ac Deum timentium virorum judicio. *Secunda*, ut in cambiis per literas ad nundinas reipsa literæ scribantur, ac transmittantur, & ibidem solutio pecuniæ fiat: quandoquidem si fingantur literæ ipsæ, nec transmittantur, imò assertus Campfarius verè, ac realiter accipiat pecuniam expendendam in suis necessitatibus, & illam assertus Campfor det verè ad mutuum sub nomine cambii cum lucro; tale cambium est cambium Siccum, usurarium, & scæneraticium, ac expresse damnatum in Bulla 118. S. Pii Quinti. Tamburinus *d. lib. 9. tract. 3. cap. 5. num. 14.* & Maffrius *d. disput. 5. num. 123.* P. Joannes Tuba Servita in *Curru peccati quest. 4. cap. 24. num. 491. & 492.* ubi refert verba ejusdem Bullæ Piane prohibentis has literas fictas. Idem Tuba in *eod. Curru cap. 25. num. 498.* ubi has literas vocat Civicas, id est ceremoniales, sed falsas, & spurias. Porro quia ibi subdidit: *Queste tali lettere civiche, d' cittadini io non ardisco d'annarle, essendo note, e tolerate de Superiori Ecclesiastici &c.* fuit acriter reprehensus à R. P. Bonaventura ex Capuc.

- 20 puccinis Prædicatore zelantissimo in libello per eum typis dato contra Usurarios, ac Usurariam pravitatem *cap. 14.* adeo ut ipse P. Tuba in secunda parte *sui Curris quæst. 4. cap. 17.* respondens P. Capuccino conetur suam assertionem iustificare, sed non absque difficultate; quia tolerantia Superiorum non est sufficiens ad reddendam licitam usurariam pravitatem; nam resistunt Bullæ Pii IV. & Pii V. & contra leges Pontificias non potest dari de non usu, nisi
- 22 probata scientia, & consensu Papæ. Baldellus *de Legib. lib. 5. diffus. 18. num. 5.* ubi DD. & Rota Romana; præterquam quod Antifites nostrorum temporum satis agant, si super Ecclesiasticorum moribus invigilent; & hinc est, quod grassentur inter laicos concubinatus, adulteria, & Usuraria labe; quæ sunt gravissima quidem piacula, ac nemo catholicus licita affirmabit. Oportet igitur in cambiis per literas ad nundinas, ipsæ literæ realiter transmittantur, &
- 23 transmissis executio detur per actualem numerationem pecuniæ Campfario faciendam in ipsis nundinis ad præscriptum Bullæ S. Pii Quinti, omni fictione remota. Tertia conditio est, ut
- 24 Campfor dans pecuniam petenti, restituendam sibi in nundinis, certus sit, ipsum Campfarium habere in nundinis pecuniam, seu merces, ex quarum exitu possit dictam pecuniam restituere, ut bene probat Tamburinus *diff. tract. 3. cap. 5. §. 1. num. 15.* et si *num. 16.* concedat sufficere in Campfore bonam fidem, reclamante tamen Bonacina *de contract. quæst. 5. num. 24.* Quarta
- 25 est, ut in cambio restituendo in nundinis non fiat pactum ab initio de certo interesse solvendo, sed remittatur ad id, quod communiter practicabitur in nundinis. Lessius *lib. 2. cap. 23. dub. 9.* Tamburinus *d. cap. 5. §. 1. num. 19.* & *§. 7. num. 13. & 14.* ubi hanc conditionem, ait, non esse in usu, sed eam esse necessariam, & observandam ostendit Eminent. Cardin. de Luca *de Cambiis disc. 3. num. 9. disc. 14. num. 4. & disc. 24. num. 8.* Quinta est, ut cambia cum lucro fieri non possint nisi pro proximis nundinis; ne si protrahantur ad secundas, tertias, vel posteriores nundinas, multiplicetur lucrum ex dilatione temporis, & transeat cambium in mutuum cum usuris. Tamburinus *d. cap. 5. §. 1. num. 20.*
- 27 Sexta conditio est, ut lucrum cambii commensuretur cum vicinitate, vel longinquitate locorum, in quibus celebrantur nundinæ, ita ut minus sit, si nundinæ, in quibus restituenda est pecunia Campfori, parùm distent; majus, si in magis longinquo loco celebrentur; ea ratione, quia ex majori distantia crescit in campfore damnum lucri cessantis, & difficultas, ac expensæ recipiendi pecuniam suam. Tamburinus ubi proxime *num. 22. & seqq.* et si *num. 24.* ex Molina, & aliis extendat augmentum lucri, ubi longiores sint termini concessi ad restituendam pecuniam Campfori, scilicet ob majus detrimentum, quod ipse Campfor patitur, cum non possit cum illa pecunia negotiari, & majora pericula, quibus remanet expositus. Septima tandem conditio est, quod si Campfarius morosus sit in restituenda pecunia habita ad nundinas, & Campfor pratendat ex illa mora sibi deberi interesse, ac alia damna emergentia, debeat inprimis, & ante omnia judicialiter interpellare eundem
- 28 Campfarium ad prædictam restitutionem pecuniæ faciendam, cum protestatione, intimatione,

ac notitia damnorum, ac interesse sibi decurrentium, seu imminuentium; aliàs dicta intimatione neglecta nec petere, nec consequi possit ipsum interesse, vel damna, ut advertit Gratian. *Discept. forens. cap. 829. num. 9.* Rota *part. 1. recent. decis. 52. num. 3.* & coram Sanctiss. Alexandro VIII. in antea Eminent. Card. Othobono *decis. 92. num. 1. & 2.* Novissimè Eminent. Cardin. de Luca in *tract. de Cambiis disc. 2. disc. 11. 29 & disc. 13.* in quibus, & in aliis ejusdem tractatus disserit de hac involuta materia cambiorum & recambiorum non satis cognita neque Theologis ob subtilitates Mercatorum ad lucra capeffenda, in quibus, ut plurimum, Anatocismos committunt, ut considerat idem Eminent. Cardin. de Luca *eod. tract. de Cambiis disc. 3. num. 8. & disc. 8. num. 6.* ubi demonstrat quando in Cambiis debeantur fructus fructuum, & non committatur Anatocismus, id est labe usuraria, ac fœneratitia? quod etiam docent mea Erotemata *cap. 93.*

Tandem corollarii loco notandum venit, quod etiam in cambiis minutis possit Anatocismus intervenire, si scilicet quis daret Campfori monetas aureas pro argenteis, cum pacto restituendi easdem argenteas, seu in argento post aliquod spatium temporis, & interim lucrum solveret sub titulo *aggii*, vulgò *lazo*; nam talis solutio lucri esset ob dilationem temporis ad restituendam illam pecuniam argenteam, & ita esset taciturnum mutuum, & ex eo lucrum usurarium, ut bene advertit Eminent. Cardin. de Luca *eod. tract. de Cambiis disc. 24. num. 7.*

DECISIO LXXVII.

ARGUMENTUM

Resolvitur, non esse Cambium usurarium, si Campfarius petat, & infumat pecuniam in suis necessitatibus, ac promittat pro lucro Cambii quatuor pro centenario, licet non habeat alibi modum negotiandi ad cambia, si tamen Campfor det pecuniam cum bona fide, & non habeat certam scientiam intentionis, ac egestatis ejusdem Campfarii.

SUMMARIUM.

1. Cambii Romani casus.
2. F. Bonaventura de Montaneana Capuccinus servens Prædicator.
3. Campfario accipiente pecuniam sine animo girandi ad cambia, Cambium dicitur Siccum, & usurarium.
4. Scientia requiritur in Campfore de intentione Campfarii infumendi pecuniam in suis necessitatibus, ut cambium sit Siccum.
5. Bona fides Campforis, quod pecunia data, vel æquivalens alia giretur in Cambiis, excusat eum ab usura, & num. 9.
6. Rota Romana decisio, quod d. bona fides excuset ab usura.
7. Dominium pecunia data ad cambium pro nundinis statim transit in Campfarium, & potest ea uti ad placitum, si habeat alibi aliam.
8. Campfario sufficit habere amicum cambiantem loco pecunia cambianda.
10. Campfor ab initio pacisci non potest de certo lucro.
11. Pactum de certo lucro in cambiis quando sufficit?

12. Pæ.